34 · 3 · B · 22/1.
7
155

CONFUTATIO
RESPONSI
EPISTOLARIS

A GABRIELE DANIELE
SOCIETATIS JESU

AD PRIMARII ACADEMIÆ
PATAVINÆ THEOLOGI
LITTERAS DATI

Quâ ſingula ejuſdem Reſponſi capita
continuatâ ſerie refelluntur.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

* * *
* *

COLONIÆ
Apud NICOLAUM SCHOUTEN.
M. DCCVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI

MONITUM.

NE quid tibi, inter legendum, ſubobſcurum occurrat, ſi minùs enatæ Danielem inter & me concertationis initia noveris, hæc tibi paucis habe.

Sextus decimus menſis eſt, ex quo Divum Auguſtinum à calumniâ vindicatum *publici juris feci, adversùs Joannis Launoii Theologi Pariſienſis, è vivis dudum erepti, Traditionem, fœtu poſthumo recèns editam; quâ ſummus Prædeſtinationis & Gratiæ Doctor in invidiam vocabatur, quaſi*

repudiatâ Majorum fide, in extremos errores abiiſſet.

Tertio poſt menſe, prodiit ejuſdem Launoii Epiſtola, ex Elyſio ad Generalem Societatis Præpoſitum data; quâ Auguſtini abs ſe traducti culpam, Societatis Theologorum exemplo depellere nitebatur; nihilque idcircò toto fermè Libello ſcriptum oſtendebat, quod ab iis ſummâ fide non delibaſſet.

Daniel, publicatis ad vagæ probabilitatis & æquivocorum defenſionem opuſculis, Litterariæ Reipublicæ notus, viſâ Epiſtolâ, cujus me ſuſpicabatur authorem, efferbuit vehementiùs. Cumque nihil, quò ſuos ab illatâ Auguſtino calumniâ vindicaret, opportunum occurreret, in ſcriptionem innocuam vertit iras; adornataſque à

me

me Auguſtini vindicias ſugillare aggreſſus eſt. Epiſtolam Generali Prædicatorum Præpoſito inſcriptam vulgavit, quâ varia de me expoſtulabat; inter quæ potiſſimum illud erat, quòd paginâ 23. Auguſtini à calumniâ vindicati, propoſitionem hanc uti catholicam propugnaſſem: Homo lapſus indeclinabili & inſuperabili gratiâ eget, ut bonum agat, ob eam naturæ infirmitatem, in quam primi parentis peccato incurrit. *Calviniani ac Janſeniani erroris virus hac aſſertione contineri dictitabat; multaque idcircò in me probra atque convicia jaciebat.*

Inconſultum accuſatorem reſponſionis honore dignatus non eſt Præpoſitus Generalis. Reſpondi ego, cujus res agebatur. Singula cri-

minationis capita diſpunxi, deſtinatâ Danieli Epiſtolâ. Ad id verò, quod præcipuum fuerat, tria repoſui. Primò, Propoſitionem, in quâ Calvinianum ac Janſenianum errorem ineptè locabat, Auguſtini ipſius eſſe, ſin minùs ſingulis omninò verbis, at iis ſaltem, unde cavillandi anſam arripiebat. Sic enim habet Sanctiſſimus Doctor Libro de Correptione & gratiâ cap. 12. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, UT DIVINA GRATIA INDECLINABILITER ET INSUPERABILITER AGERETUR: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. *Secundò, Propoſitionem in ſuſpicionem adductam, ex me ipſo aſſertam non eſſe,*

ſe, nec à ſuis adjunctis avulſam; ſed à me uti dictum Auguſtinianum, à Launoio, quicum mihi res erat, temerè ſugillatum, quo ſenſu ab Auguſtino aſſeritur, vindicatum. Tertiò, Propoſitionem hanc, ſi cui fortè cavillatorum pateret invidiæ, (ne rejiciendæ gratiæ poteſtatem inficiari videatur,) tritis Scholæ interpretamentis emolliri poſſe; queis aliæ non paucæ paris formæ Scripturarum & Conciliorum aſſertiones emolliuntur. Hæc, quod præcipuum criminationis caput attinet, datæ à me Epiſtolæ ſumma fuit.

Daniel, ne ſuſceptam ſemel cauſam ſilentio perdere videretur, novos acuit ignes, alteramque mihi ipſi inſcriptam Epiſtolam dedit: ac multis (quæ malorum litigatorum

ars eſt) facetiis, conviciis, ac probris infarſit: quam hic ego confutandam aggredior. Quid in hac ſcriptum legatur, non eſt cur in anteceſſum admoneam, quò tibi ejuſdem confutatio plana fiat. Eam quippè in ſcribendo methodum tenui, quæ cuncta tibi illius capita ob oculos ponet. Quamquàm porrò gallicam linguam Daniel affectarit, latinam nihiloſeciùs uſurpabo; quòd hæc agitandis Theologicis controverſiis congruat magis, nec ita quibus dego terris peregrina ſit.

CONFUTATIO RESPONSI EPISTOLARIS

A GABRIELE DANIELE SOCIETATIS JESU

AD PRIMARII ACADEMIÆ PATAVINÆ THEOLOGI LITTERAS, DATI.

DUctis ad umbilicum Thomiſticæ Scholæ vindiciis, * incidit in manus expectata pridem Epiſtola, qua noſtræ tibi ante menſes aliquot deſtinatæ reſpondes. Attentè legere cœpi, ſcire avidus, quid contra factam affecti mihi erroris expurgationem, pro inſtaurandâ criminatione

* *Cōtrà ejuſdē Danielis Tractatum de gratiâ efficaci.*

minatione reponeres: maximè cùm ſtatim ab initio Lectorem magna expectatione ſuſpendas, pugiones jactes, virtutem prædices, meque novâ impreſſione obruendum, Thraſonis oſtentatione denunties. Verùm abſolutâ Lectione, pugiones plumbeos, linguam futilem, conviciorum acervum, vanamque jactantiam deprehendi: eaque mihi certa mens ſtetit, te haud aliâ mente, quàm ne victus ſilentio videreris, Epiſtolæ meæ reſcripſiſſe; minùſque Auguſtini dictum, in Julianios tam frequenter illiſum, animo reputaſſe: *Hoc non eſt reſpondere, quod eſt non tacere.*

In monito ad Lect.

Vix enim conflatæ mihi nupèr accuſationis caput levitèr attigiſti, nonnulla mihi fidentèr affingens, ac tecum ipſe intra paucas paginas apertiſſimè pugnans; modò me à laqueis, utcumque potui expeditum inquiens, modò me magis magiſque inductum in laqueos; nunc factum tibi ſatis à me dato reſponſo, nunc gravi me

atque

atque inſuperabili difficultate diſtentum obtendens : cum ſtatim cæteras propoſitiones meas, in invidiam antè traductas ſilentio mittens, nihilque ingerens novi, quo priſtinam criminationem inſtaures, ad minutias & adjuncta divertis : tum verò de calcaria, ut in proverbio eſt, in carbonariam digrederis, inſtituto de primis ſacræ Ethicæ corruptoribus prolixo ſermone ; ac veluti deſultorius in quadrigarum curriculum, ut Tullius aiebat, incurris. *O diſputare ! O probare promiſſa ! Oſtende promiſſa, quid pergis in vacua ? Quid deludis expectationem noſtram, neque exhibes pollicitationem tuam ?* *Aug. lib. 3. contra Julian.*

Quapropter ne in idem vitium incurram, ſi te de via tam enormitèr declinantem veſtigiis inſequar, calcemque, ut dicitur, calce teram; memet intra inſtitutæ controverſiæ terminos continebo : miſsaque aut certè levitèr perſtrictâ, portentoſâ illa, quæ dimidiam reſponſionis tuæ partem

partem excedit, de probabilibus opinionibus digreſſione, quæ me meaque ſcripta nihil attingit, inſtitutum unicè perſequar: quæque adſtructam mihi calumniam attinent, dato ad ſingula capita brevi reſponſo, (etſi fortè nil opus fuerat) refutabo. Quam in adornatis Thomiſticæ Scholæ vindiciis viam inſtitui, hanc porrò tenere pergam. Utque tuam tibi ſcenam ob oculos ponam, Epiſtolam in pauca contractam per partes integrâ ſerie repræſentabo; ſuamque cuique confutationem ſubjiciam.

Intereà Lectorem veri ac pacis amantem admoneo, quin etiam ſanctè ac religiosè profiteor, me, quidquid demùm pro tricandi libidine repoſueris, ſtylo in poſterum parciturum; ſatis mihi conſultum putans, ſi publico ſatisfecerim. Tædet enim pigetque, eandem integro ævo incudem tundere, ut hominem refractariolum ac præfidentem, nihil niſi canoras nugas objicere ſolitum,

tum, iteratis Scriptionibus onerem. Id ſi cordi habes, ut me fortè ab inſtitutis ſtudiis avoces, quin id ipſe ſi velim, non illi, queis ſtudiorum meorum rationem reddere cogor, utique patiantur. Jam ad inſtitutum accedo.

I.

Lectorem proludio mones; nihil te ab Ordinis Prædicatorum Generali Præpoſito, ad datam pridèm Epiſtolam accepiſſe reſponſi, quòd hæc fortè fortunâ in Typographi manum incidiſſet, à quo typis vulgata fuerat. *Pag. 1. 2.*

Egregiè ſanè incœptas! A putido mendacio non dicam, horres enim, at, quod innocuum Opuſculo doces, ab æquivoco menteque reſtricto verbo initium facis. Malum omen, quod an multam tibi ab exordio conciliet fidem, haud ſatis ſcio. Quin agente te ipſo, aut certè volente typis edita ſit, Præpoſito Generali

Digitized by Google

nerali inſcripta Epiſtola, nemo dubitat, qui prima ejuſdem exempla à te ipſo tuiſque Lutetiæ diſtributa vidit, ac penè momento circumquaque diſſeminata. Nec ambigunt Romanæ Curiæ Principes Viri, qui eodem deferente Curſore, tranſumta typis edita recepere, quo Autographum ipſum tuum Generali Præpoſito redditum eſt. Hinc ſcilicet à te cuncta, aut certè tecum, ex condicto ac meditato conſilio facta, nemo non ſenſit. Utcumque tamen res illa ſe habeat, hariolaris ac vatem agis, dum hanc negati tibi reſponſi cauſam obtendis. Dabo certam ac minimè dubiam: nempe *quòd omni abjecta honeſti ſpecie, me probris ac maledictis inceſſeris.* Si fidem detrahis, authentico ſcripto convincam.

II.

Pag. 2. Futurum ominaris, ut me neglecti inter ſcribendum officii atque honeſti

neſti aliquandò pœniteat.

Cultor justitiæ, rigidi ſervator honeſti, eſt tibi profectò quòd plenam humanitatis & officii ſcribendi rationem gratuleris; quòd multùm de comitate te ames, tibique de honeſtis moribus plaudas? Scilicet quòd te profeſſum vitiligatorem, & æquivocorum (quæ publico ſcripto docuiſti) Magiſtrum, datâ Epiſtolâ vocitarim, me modò furibundum, novatoribus ac rebellibus fœdere junctum, ab hæreticis ſeductum, ſuſpectæ doctrinæ virum, Religioſi Inſtituti probrum ac dedecus, pro ſummâ humanitate compellas. Hæc tibi honeſta dicta, mortalium humaniſſime, ut me neglecti inter ſcribendum officii atque honeſti peramantèr admoneas. Hi tibi congenitæ comitatis floſculi, ut religioſam, quam exui, ſimplicitatem exemplo doceas. Hi tibi ſuaviloquentiæ ac lenitatis molliti globuli, queis furorem meum delinire, ac demulcere contendis.

Lucan.

Vide infrà N. XI.

Abſit

Abſit ut parem in ſcribendo humanitatem affectem, & abs te modeſtiæ ac comitatis exemplum capiam; ne quod me dicis eſſe, re ipſa fierem. Hieronymo magiſtro ac monſtratore uti malim, ut probris licet atque conviciis laceſſitus; diſcam non repungere. *Nihil enim*, ait ille Epiſt. 65. *cauſæ prodeſt maledicentibus remaledicere, & adverſarios talione mordere; quibus præcipitur malum pro malo non reddere; ſed vincere in bono malum, ſaturari opprobriis, & alteram verberanti præbere maxillam.* Non ergo vicem rependam; ſed illatis famæ vulneribus manum duntaxàt admovebo, tuaque probra ſimplicitèr diſſipabo.

III.

Pag. 5. Dato Lectoribus monito, officioſâ ſalutatione Epiſtolam auſpicaris. *Datum tibi*, inquis, *à Præpoſito Generali Epiſtolæ meæ reſpondendi negotium gratulor. Quod apud illum geris*

ris in præſentia Scribæ munus decet te multò meliùs, quàm quod apud Launoium in Campis Elyſiis geſſiſti nupèr, teque ad altiora Ordinis tui munia certò provehet.

Inepta planè gratulatio. Neque enim Præpoſiti nomine ſcripſi, ut has mihi partes ab ipſo impoſitas dicere poſſis, ſed à me ipſo: nec in concinnando Reſponſo, Amanuenſis ac Scribæ officio functus ſum apud eum, quem præmiſsâ monitione, nullo te reſponſionis honore dignatum fateris. Eia tamen, quod mihi gratularis Scribæ munus honori duco, & officioſam ſalutationem accipio. Id unum dolet, nondùm mihi datam à te, pari tecum gratulationis officio certandi occaſionem, qui necdum Præpoſitis tuis, ut quid Launoianæ Epiſtolæ reſcriberetur, neceſſarium calamum commodaſti. Num eo te Amanuenſis officio apud illos defungi aliquandò continget, (quippè Propheta non ſum) divinare omninò non poſſum:

id tamen & mihi & univerſæ Reipublicæ Litterariæ certò perſuaſum, eo te munere, dum de æquivocis ac probabilibus ſcriberes, apud nupèr extinctum Præpoſitum Generalem tuum minimè functum eſſe. Hæc enim quantum amas ipſe ac probas, tantum ille habebat odio: nec ſpes erat, ut adornatis à te hoc de argumento Dialogis & Opuſculis, fortunæ tibi ac dignitatis in Societate, ſi penes illum ſtetiſſet arbitrium, acceſſio fieret.

Tyrſus Gonzales.

I V.

1 Pergis meque bono verbo compellas; *Abs te mihi de præcipuo expoſtulationis meæ capite factum eſt ſatis. Haud ita moroſus difficiliſque ſum adverſarius, nulla ut me contumeliis affectum excuſatio deliniat.*

Pag. 6.

Plagoſum Orbilium, auſteri ſupercilii nube poſitâ, territos pueros recreantem de tua voce recognoſco. Sic enim olim, dum in Grammati-

ce Scholis infantia mea reptaret, ſi quo fortè lapſæ latinitatis vitio Ludimagiſtrum irritaſſem, modò tamen die alterâ vendibilem ſcriptionem obtuliſſem, frontem ille confeſtim exporrigebat; utque meliora conarer, factum ſibi jam ſatis inquiebat, ſeque haud ita moroſum eſſe atque difficilem, ut non tam bellâ ſcriptione molliretur. At vide tu, an qui tibi ſatisfactum à me tam ingenuè profiteris, ita perindè famæ tuæ ac publico ſatisfeceris, audaciſque criminatoris notam eluſeris, qui te victum aut dicis apertè, aut ſilentio fateris? De quatuor ſiquidem propoſitionibus, errorem fronte præferentibus expoſtulabas, datâ illâ tuâ ad Præpoſitum Generalem Epiſtolâ, cœlumque terræ miſcebas; modò ſcripto refutatus, de primâ, quâ potiſſimum ſtabat criminationis tuæ caput, factum tibi ſatis agnoſcis; de cæteris ne verbum quidem habes, quo dicta confirmes. Injiciebas, quæ dudum in vulgi fa-

bulam venit, Janſeniſmi ſuſpicionem, ex tacito (ut effutiebas) à me Janſenii nomine, minuſque, ut tibi quidem videbatur, accuratâ Janſeniſtarum à me datâ definitione. Geminam ego dilui conjecturam. Quid tu modò? Utramque ſilentio premis, aliaſque divendis, quas poſtea propulſabo. Addebas, procuſum à me abſonum paradoxum, de Luthero atque Calvino à ſuis in præſentiâ deſerto, deque emollitis priorum Reformatorum, circa voluntatis arbitrium, aberrationibus. Rem totam ego illuſtrium Virorum ſuffragiis comprobavi. Quid tu jam? Ne hiſcis quidem. Tritas Scholæ Thomiſticæ diſtinctiones, queis nonnullarum propoſitionum duritia emolliri poſſet, à me neglectas objiciebas. Has uſurpatas oſtendi: nec tu quidquam in præſenti regeris in oppoſitum. Nonnulla Auguſtini temperamenta, prætermiſſa dictitabas. Hæc plenis paginis adhibita probavi; nec contrà quidquam reponis. Tho-

miſticæ

miſticæ Scholæ proceres contemti ac depreſſi Auguſtini incuſabas. Crimen depuli: tu modò ne quidem mutire audes, aut verbum efferre, ut accuſationem ſuſtineas, ac defendas. Thomiſtas cum quinque famoſarum propoſitionum defenſoribus ſociabas; aut certè ita illos ſenſibus affines innuebas, ut internoſci vix poſsent. Hos toto cœlo diſtare, tuorum ſuffragio demonſtravi. Iſthæc ſurdâ præteris aure. Cardinalis Perronii dicterium in Scholam Thomiſticam jaciebas. Hoc tibi fabulis accenſendum oſtendi; nec muſſitas, ut dicto fidem adſtruas.

An ergo ita tibi propitium putas hominum genus, ut eis de tuâ Epiſtolâ ſatisfactum exiſtimes; quâ te, in omnibus alicujus momenti capitibus, ſilentio victum oſtendis; nec niſi peregrina ſectaris, quæ motæ inter nos controverſiæ ſummam nihil attingunt? Equidèm ſubire mentem tuam cogitatio illa potuit, ſi illos de totâ Epiſtolâ, ex unâ præ-

miſsâ monitione judicium laturos exiſtimaſti; quâ te novum ac validiorem facturum impetum polliceris, verbiſque virtutem jactas. At ſi integram lecturos Epiſtolam credidiſti, unus tibi metus eſſe potuit, ne vanas pollicitationes tuas, inanemque jactantiam experirentur.

Age tamen videamus, quorſum tibi de præcipuo expoſtulationis capite factum ſatis, aut fateris, aut fingis.

V.

Pag. 6. 7. Factum tibi ſatis ita ſignificas: *Concedis primò Propoſitionem, quæ mihi offenſionem dederat, Libro tuo contineri. Secundò, hanc à te receptam eſſe atque probatam. Tertiò, haud inficiaris quod à me dictum eſt, Calviniſtarum ac Janſenianorum neminem, tametſi ſenſibus ampliorem & audaciorem, reperiri, qui propoſitioni illi tuæ abſque circumſcriptione, interpretamento, & exceptione non ſponte ſubſcribat:*

quod

 175
quòd hæc Calvini atque Janſenii, de gratiâ neceſſitatem inferente, errorem apertè ac diſtinctè continent. Quartò, *Propoſitionem hanc totidem verbis in Auguſtino non haberi, fateris ultrò. Hæc tollendo ſcandalo plurimùm juvant, quin etiam palinodiæ loco haberi utcumque poſſunt.* Addis me poſt varios quæſitos anfractus ac diverticula, *propoſitioni in ſe ipsâ ſpectatæ damnationi ſubſcribere: ægrè quidem ac difficultèr, verè tamèn.*

De voce Orbilium noveram paulò antea, nunc Thraſonem. Illud quippè glorioſi militis proprium eſt; ut cùm ſe fuſum fugatumque ſentiat, ſubmiſſos ſibi faſces publicè prædicet, ac multò quàm antea glorietur.

Ego quidem factum tibi ſatis exiſtimabam, quòd Propoſitionem erroris inſimulatam; non tam meam, quàm Auguſtini eſſe demonſtraſſem; ſin minùs omnibus ac ſingulis queis conflatur vocabulis & apicibus, at iis maximè, queis ſummâ audaciâ

tam turpem notam affricabas. Res enim patet ipſa per ſe ſe. Sic ego pag. 23. Auguſtini à calumniâ vindicati: *Homo lapſus indeclinabili & inſuperabili gratiâ eget, ut bonum agat, ob eam naturæ infirmitatem, in quam primi parentis peccato incurrit.* Sic verò Auguſtinus Libro de Correptione & gratiâ cap. 12. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabilitèr & inſuperabilitèr ageretur: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur...... Infirmis ſervavit, ut ipſo donante, invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.* Eccur enim propoſitione illâ meâ errorem contineri prædicabas? Non utique quòd lapſum hominem egere gratiâ dicerem, ob contractam primi parentis vitio infirmitatem & corruptionem. (Quamquàm ſi errorem iis in verbis poſuiſſes, Auguſtinianæ perindè propoſitionis ſummam eâ cenſurâ petiiſſes.) In alia

duntaxat

179
duntaxat verba, queis *indeclinabilem* *& inſuperabilem* gratiam dixeram; tuus ille tam pius, tam ſacer furor exarſit. Hinc amaræ tuæ illæ voces; iræ, querelæ, Calviniſmi ac Janſeniſmi liberales accuſationes. At nunquid hæc ipſa, velis nolis, tibi ingerit Auguſtinus, dum hominem divinâ gratiâ INDECLINABILITER ET INSUPERABILITER agi contendit? Niſi fortè ita refractarius ac pervicax es, ut diverſam, quod Theologicum ſenſum attinet, adjectivis illis vocabulis ſignificandi vim tribuas, quàm adverbiis: aliudque, judicio tuo, ſibi velit gratia in agendo indeclinabilis & inſuperabilis, aliud gratia indeclinabilitèr & inſuperabilitèr agens. Quamquàm ſi Theologicam majeſtatem in hunc Grammaticæ ludum demittere velles, haud ita moroſus eſſem, quin Auguſtinum hoc ipſo adjectivo nomine uſum oſtenderem, ut divinæ gratiæ efficaciam indicaret: eodem videlicet Libro de Cor-

Correptione & gratiâ cap. 8. *Voluntas humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ potiùs libertatem; & ut perſeveret delectabilem perpetuitatem, & INSUPERABILEM fortitudinem.* Baſilium magnum adjicerem, (etſi non illum, ſed Auguſtinum unum, dum ejus vindicias ſcriberem, in oculis habuiſſem) Sermone de libero arbitrio ita ſcribentem: *Impoſſibile eſt propriis viribus offendicula verſuti hoſtis vincere, niſi INSUPERABILIS Dei potentia occurrat.*

Immò ſi variam vocum iſtarum ſignificationem ac poteſtatem rimari liceat, vereor maximè ne molliùs quàm par eſſet, Auguſtinianæ propoſitionis ſummam, uti mihi decretum fuerat, meâ illâ propoſitione reddiderim: nevè, ſi quid fortè in reddendo Sanctiſſimi Doctoris ſenſu
Pag. 5 peccavi, mollitie potiùs, quàm, quæ à te mihi objicitur, aſperitate deliquerim. Qui enim gratiam efficacem *indeclinabilem & inſuperabilem*, ſim-

ſimpliciter dicit, haud ſatis apertè ſignificat, quâ demum ratione contingat, ut nunquam declinetur ac ſuperetur: num ab externâ deſtinatione eventuumque concentu, an ab adjunctis prætenſo ſcientiæ mediæ lumine exploratis, an demum à congenitâ ſibi flectendi arbitrii virtute ac poteſtate. At dum infirmam hominis voluntatem *divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter agi* pronuntiat Auguſtinus, hanc illi vim inditam apertiſſimè docet, ex intimo agendi movendique modo, quo infirmam voluntatem quocunquè Jubet inflectit. Ut hinc nemo non videat, me pro attenuatâ utcunquè Auguſtini ſententiâ, Thomiſticæ quàm Molinianæ partis invidiam potiori jure ſubiturum. Pag. 1. 2.

Alio ex capite factum tibi ſatis exiſtimabam, quòd multis oſtenderim, deſcriptæ propoſitionis ſcopum ac finem, cæteraque omnia ſcriptionis adjuncta, ita ſenſum ejus & intelligentiam figere, ut non aliam

niſi

niſi Auguſtinianam notionem præ ſe ferret. Cùm hanc ipſam non ex arbitrio poſuiſſem, ſed utì Auguſtiniani dicti, ab Launoio temerè ſugillati, ſummam dediſſem, productis paris ſignificationis ac formæ Scripturarum & Conciliorum oraculis vindicandam: unamque gratiæ ſe ipsâ victricis ſignificationem, gemino illo, unde tibi cordolium eſt, vocabulo, contineri declaraſſem.

Juvabat hanc de te opinionem meam, quòd tritas tibi Scholæ Thomiſticæ diſtinctiones ſubjeciſſem, quibus, ſi quid pravi ſenſus deſcriptæ præpoſitioni à te tuique ſimilibus objiceretur, (quaſi hæc reſiſtendi potentiam neget) nullo negotio ſolveretur. Et quidem ni tu illas admiſeris, praviſque ſenſibus amovendis pares agnoveris, Auguſtinianam non ſecùs ac meam propoſitionem habebis in vitio. Si enim dum inquio, gratiam efficacem in agendo movendoque indeclinabilem & inſuperabilem eſſe, pravum ſenſum cauſaris

 179
ſaris illico; nec me de poteſtate conſequenti (quâ nempè gratia efficax nunquam re ipsâ declinatur ac ſuperatur) locutum intelligis, ut indè affricandi mihi erroris anſam arripias: quî, quæſo, Auguſtini propoſitionem recipies, ac non illi pari libertate erroris notam inures? *Homo divinâ gratiâ indeclinabilitèr & inſuperabilitèr agitur?* Par enim in utraque propoſitione, immò in Auguſtinianâ aliquantulùm major verborum nervus, vis, ac poteſtas: ut planè, ſi adſit cavillandi animus, negatæ reſiſtendi potentiæ invidiam ex æquo ſubeant.

His ego factum tibi ſatis opinabar. Verùm, ut video, mea me ſefellit opinio. Non enim datis à me deſcriptæ propoſitionis probationibus atque vindiciis, tibi ſatisfactum obtendis; ſed, quæ tua jactantia eſt, retractatione ac palinodiâ, quaſi dictis non firmiter ſteterim, ſed pedem retulerim. Agedum, quæque ſubjicis commentitiæ palino-

diæ-

diæ ſpecimina perpendamus.

Primum alterumque tantùm abeſt ut retractationis loco haberi poſſint, ut potiùs confirmationis ac probationis. Quòd enim propoſitionem, quæ tibi ſtomachum movet, libro meo contentam probatamque conceſſerim, quis, niſi cerebrum in calcaneo geſtet, revocatam interpretetur?

Tertium, quod abnutivo duntaxàt & inficiali argumento conſtat, cavillationis atque calumniæ plenum eſt. *Haud inficiaris*, inquis, *quod à me dictum eſt, Calviniſtarum ac Janſenianorum neminem, tametſi ſenſibus ampliorem & audaciorem reperiri, qui propoſitioni illi tuæ, abſque circunſcriptione interpretamento, & exceptione non ſpontè ſubſcribat; quòd hæc Calvini atque Janſenii, de gratia neceſſitatem inferente, errorem apertè ac diſtinctè contineat.* Quaſi verò, id non inficiar? An ergo, ſi ſuperis placet, quia non omnes ac ſingulas prioris Epiſtolæ tuæ, propoſitiones ac voces diſtinctè ac ſeparatim, dato

180

to cuique peculiari reſponſo refutavi, probaſſe quaſcumque tibi libuerit, reputabor? Aut fortè non ſatis tibi videtur eſſe, quòd ſtructæ calumniæ ſummam & caput, quò declamationes tuæ omnes unicè tendunt, confutarim ac retuderim; quòd propoſitionem illam meam, Auguſtinianæ quam compendio reddebam ſententiæ medullam complecti, perſpicuum fecerim: quòd verba ipſa in quibus hæreſim locabas, ejuſdem divinæ gratiæ Vindicis eſſe demonſtraverim: annon, inquam, id ſatis, ut hac unâ generali confutatione, voces illas omnes, calumniæ & invidiæ plenas reſpuiſſe putandus ſim? Id ſi velis, Calvinianum & Janſenianum errorem in Auguſtiniano dogmate locare convinceris. Quid ergo illi tui ſubſcripturi ſint Janſeniſtæ, ac etiam Calviniani, nec expendi tunc, nec moror hodie, ſed quid ipſa veritas habeat: quandoquidèm & illos Apoſtolico Symbolo ſubſcripturos, haud vana fides; quod

tamen

tamen idcircò in erroris ſuſpicionem venire non dices.

Addam obiter (quamquàm nihil intereſt) minùs te de tuis illis, quos nobis obtrudis, Janſeniſtis, ac Calvinianis congruentèr & aptè loqui, dum ais, neminem unum ex iis inventum iri, qui propoſitioni meæ *abſque circunſcriptione*, *interpretamento*, *& exceptione* non spontè ſubſcribat. Si enim, ut ais ipſe, in vindicandâ efficaci gratiâ, non defectu ſed immoderatione peccant; nec quòd minus, ſed quòd amplius quàm par eſſet, gratiæ tribuant, in vitio ſunt; illos ergo propoſitionem, quam nimiæ aſperitatis & immoderationis accuſas, *abſque circunſcriptione*, *interpretamento*, *& exceptione* probaturos, ineptè dicis: cùm contrà potiùs, ut tibi congrueres, hanc illos utì ſuam, nullo addito ſeveriori & aſperiori interpretamento probaturos, dicere debuiſſes. Ita quippè, ſin minùs veritas, at congruus tuoque aptus inſtituto ſen-

Sans reſtriction, ſans explication, ſans exception.

ſus

ſus conſtaret. Ad id obiter, utì monui.

Quin itaque huic meæ propoſitioni ſubſcripturi ſint Janſeniſtæ illi tui, ac etiam Calviniani, non inficior: utì planè dubium nullum ſubit, quin Auguſtinianæ, quam compendio reddidi, aſſertioni pari ratione calculum adderent. Verùm nihil illos addituros prætereà, ut erroris ſui ſenſum exprimerent; quaſi iis ſolis *gratiæ indeclinabilis & inſuperabilis*, ſeu quod idem eſt, *indeclinabilitèr & inſuperabilitèr agentis* vocibus, Calvinianus ac Janſenianus error expreſſus ſit, plenum temeritatis atque calumniæ probrum eſt. Id à te plenis buccis millies ingeri, minùs miror, qui Calvinianum errorem *gratiæ ſe ipsâ efficacis* vocabulo, Catholicarum Scholarum uſibus conſecrato, congruentèr exprimi, edito nuper de gratiâ efficaci Tractatu Theologico, apertiſſimè docuiſti. Pag. 71.

Quartum à te mihi tam fidenter

affictæ palinodiæ ſpecimen, quòd nempè *propoſitionem hanc meam, totidem verbis in Auguſtino non eſſe faſſus ſim*, præ reliquis vanum ac frivolum eſt. Equidem, utì ſuperiùs innuebam, ſi omnes ac ſingulas, queis conflata eſt propoſitio, voces ac ſyllabas ſpectes, in Auguſtino non haberi, haud ægrè dedi. At ſi illas ipſas voces attendas, queis errorem tam liberalitèr affricabas, has in Auguſtino, ac etiam majori dictionis nervo, contineri profeſſus

Pag. 8. ſum: nec ovum mihi viſum eſt unquam ovo ſimilius, quàm geminæ iſtæ, quod integrum ſenſum attinet, aſſertiones.

Homo lapſus INDECLINABILI ET INSUPERABILI gratiâ eget, ut bonum agat, ob eam naturæ infirmitatem, in quam primi parentis pec-	*Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ INDECLINABILITER ET INSUPERABILITER ageretur: & ideo quamvis infirma,* non

peccato incurrit.	*non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur.*

Ultimum, quòd *propoſitionis in ſe ipsâ ſpectatæ damnationi ſubſcripſerim*, à verò longiùs abit. Quem ſenſum propoſitio illa mea, à ſua ipſius ſede & adjunctis avulſa, ſi cavillandi adeſſet animus, poſſet induere, non expendi, quòd repellendæ criminationi nihil eſſet opus. Satis quippè ſuperque erat, ſi ab adjunctis, à fine, à ſcopo definitam, Auguſtinianum gratiæ ſe ipsâ victricis ſenſum, multò evidentiùs & certiùs accipere demonſtrarem. At tantùm abeſt ut avulſæ propoſitionis ſenſum obvium, quem verba ipſa præ ſe ferunt, Calvinianum ac Janſenianum, ut obtrudebas, eſſe conceſſerim, ejuſque idcircò damnationi ſubſcripſerim; ut contrà potiùs figmentum id eſſe, & à te pro arbitratu fabricatum ac fictum diſertiſſimè pronuntiarim. *Congere*, inquiebam pag. 7.

Pag. 7. Telque vous vous le figurez &c.

Pag 5. Qu'il vous plaiſt d'appeller ſon ſens naturel &c.

argutias mille, ut propoſitionem hanc, nativo ac ſimplici ſenſu, QUALEM TIBI IPSE FINGIS, acceptam, hæreticam probes. Et pag. 5. *Nativum, QUEM PRO ARBITRATU SENSUM APPELLAS, Lutheranas, Calvinianas ac Janſenianas notiones illius verbis AFFINGENS &c.* Næ te itaque Auguſtini mei verbis compellare mihi liceat: *Tu vir honeſtus ac verax abſtuliſti verba quæ dixi, & dixiſti quæ finxiſti. Redde ergo verba mea, & evaneſcet calumnia tua?* Lib. 4. primi Operis contra Julianum cap. 8.

Cæterùm ſi nativum & obvium hujuſce meæ aſsertionis, ab omnibus adjunctis avulſæ ſenſum, ſcire aves, *datur gratia indeclinabilis & inſuperabilis*; illum ipſum habeto; qui hujuſce quod compendio reddidi, Auguſtiniani effati, à ſuis etiam adjunctis avulſi eſse debet; *datur gratia indeclinabilitèr & inſuperabilitèr agens:* Aut ergo Auguſtinum damnabis mecum, aut me abſolves cum Auguſtino. Sed eſt illa,

ut

183

ut video, calliditas tua, quòd cùm Auguſtini propoſitionem apertâ fronte ac detractâ larvâ ſugillare pudeat, ne publicam bonorum omnium ſubires invidiam; hanc catè ſilentio premas, ac de meâ tantummodò dicas. Quasì aliud ego, quàm Auguſtini dictum, ab Launoio erroris inſimulatum, compendio reddere ac vindicare inſtituiſsem: aut tu aliud, tot illis criminationibus, apud æquos æſtimatores, velis nolis, agere convincaris, quàm ut ſub meo tandem corio vapulet Auguſtinus. At de his plura in noſtris Thomiſticæ Scholæ vindiciis, Animadverſione trigeſimâ, ubi procuſum à te de Gratiâ indeclinabilitèr & inſuperabilitèr agente, deque dono perſeverantiæ abſonum paradoxum, ab imis fundamentis evertimus.

VI.

Relicto Theologico argumento, ad

Apag. 8. ad 12

Le Jãſeniſte malgré luy.

ad ingenium redis, ut fabulam agas. Comœdiæ tribus actibus diſtinctæ ſpecimen ſubjicis, quâ *Vir ſuis ingratiis Janſeniſta* luderetur; mihique primarum partium perſonam imponis. Me itaque actu primo Janſeniſtam repræſentas, ob defenſatam, de qua ſuperiùs egimus, aſſertionem. Altero, expurgationem à me datam ſpectatoribus objicis. Tertio, me meis ingratiis Janſeniſtam pronuntias: quòd meâ illa aſſertione, Auguſtinianæ periodi ſummam contineri reſponderim. Te tamen, ut es ſummè ingenuus, in hoc ultimo inducendo epiſodio admodùm impeditum fateris, ne videlicet à veriſimilitudine abhorrere ſpectatoribus videatur. Tum poſteà, miſſo joco, aſſertæ à me propoſitionis delationem ad Sedem Apoſtolicam & Epiſcopos faciendam, de gravi ſupercilio minitaris.

Si quot tu tuique ſimiles, ſuis ipſorum ingratiis facitis Janſeniſtas, diſtinctis fabulis luderes, vereor ne

tu

184

tu unus Statios ſimul omnes, ac Plautos, Licinios, Attilios, Terentios, Turpilios, Luſcios, Ennios, & quidquid uſquam Comicorum fuit, ſcriptis comœdiis ſuperares. Millenos enim quotis horis, quovis ex ordine fabricamini: non qui tales re ipsâ cùm ſint, haberique pro talibus nolint, ſuo à vobis vocentur nomine: ſed qui cùm à Janſenianis erroribus procul abſint, ac ipſas plerumque gratiæ controverſias ne quidem extremis labris attigerint, pleno invidiæ nomine compellentur. Quarè mirari ſubit, adeò te in claudendâ fabulâ laborare; ne fortè tuum illud, quo meis ingratiis Janſeniſta pronuntior, epiſodium minùs veroſimile videatur. Sat erat, ut cuncta bellè congruerent, ſi te ipſum (ut in epiſodiis ſæpè fit) ex improviſo in ſcenam inferres, actumque ultimum luderes: quò me quantalibet expurgatione abſolutum, nihilque commune cum Janſenianis erroribus haben-

tem, pro ſummâ tamen, quæ tibi ad fingendos creandoſque ex arbitrio Janſeniſtas data eſt, poteſtate, meis ingratiis Janſeniſtam è tribunali pronuntiares. Hic aptus fabulæ exitus, hæc mimi clauſula; quâ non Janſeniſta ſuis ipſius ingratiis factus, ſed ſummus Janſenianorum creator ac fictor pro meritis luderetur. Fœlicem Comœdo te atque ludione Janſeniſtam! Hunc ſummè catholicum eſſe oportet, quem nonniſi theatralis ac ſcenicus Inquiſitor hæreticum & dicit & facit.

Quàm me porrò, tam longè diſſitum, minæ tuæ modicè tangant, vel ex eo, ſi ſenſum habes, intelligere potuiſti, quòd ne illos quidem affecerint, qui tam propè ab ædibus tuis, has ipſas, quas ad ſupremos Judices te delaturum minitaris, loquendi formulas, ſuis nuperrimè theſibus propugnarunt. Ea quippè Menſe, ni fallor, Auguſto proximè elapſo, Sorbonicis Theſibus aſſertio inſerta eſt, ſubſcribente

de

de more florentiſſimæ Academiæ Syndico, Theſiumque Cenſore: *Gratiam efficacem non ex voluntatis aſſenſu, non ex mediis congruis aſſero; ſed illam ſe ipſâ efficacem arbitror. Illius efficaciam ex Dei omnipotentis dominio, ex naturæ corruptæ indigentiâ ac dependentiâ; uno verbo, ex ſe ipſâ, per ſe victrici, & INSUPERABILI GRATIÆ NATURA.* Nec minùs, opinor, declamationes illas tuas, tertiumque fabulæ tuæ ludùm deriſiſset piiſſimus æque ac doctiſſimus Contenſonius, qui recitatâ celebri illâ Auguſtini periodo, cujus ſummam propoſitione meâ contineri reſponderam, ita demum pari mecùm compendio colligit, Libro 8. Theologiæ mentis & cordis Diſsert. 1. cap. 2. ſpec. 2. *Vides eatenùs Auguſtinum velle, nos egere gratiâ invictiſſimâ, INDECLINABILI, victrici, & per ſe efficaci; quia voluntas noſtra peccato infirmata, & vi concupiſcentiæ corruptæ illecta, abſque hujuſmodi fortiſſimo adjutorio deficeret.*

deficeret. Cui certè præſtantiſſimi Theologi aſſertioni, mea illa, quæ tibi oculos urit, adeo ſimilis eſt propoſitio, ut illo interprete ac monſtratore, Auguſtinianæ periodi ſummam collegiſſe videri poſſem, niſi adeò plana res eſſet, ut nullo, in ſummâ colligendâ, Doctore ſit opus.

VII.

Abſoluto, ut tu quidem exiſtimas, conflatæ mihi accuſationis capite, ad ea quæ tibi ipſi crimini dederam diluenda, tranſitum facis. Ac primum quidem, quo te calumniæ poſtularam, quòd me Janſenianis fœdere junctum vocitaſſes, verum eſſe contendis. Idque ut probes, Epiſtolarum mearum excerpta, ad quæ exhibenda te provocaveram, recenti veſtrâ Auxiliorum Hiſtoriâ contineri ais. Tum poſteà in Queſnellium declamas, quem meæ Auxiliorum Hiſtoriæ ex parte

Pag. 13 14. 15.

186
ſaltem Authorem facis.

Gradum deſeris, Amice, ac pedem refers: ac tum maximè dum provocationi videri vis reſpondiſse. Neque enim te de proferendis ſimplicitèr Epiſtolis appellavi, qui me potiùs in Belgium, ubi quoſcumque libet Janſenianos comminiſceris, ad librorum quorumdam editionem procurandam ſcripſiſse, tam ingenuè faſsus ſum: ſed de iis, ſi potis eſses, litteris exhibendis, quæ me, aut pravorum dogmatum communione, aut occultarum viroque religioſo indignarum artium molitione, cum mortalium aliquo conjunctum eſse oſtenderent: ac etiam quæ me confictà ex condicto nomina, occultaſve notas, unde vel levis occulti alicujus conſilii ſuſpicio ſuboriri poſset, (etſi nec inde ſummo jure ſuboriretur) inter ſcribendum uſurpaſse convincerent. Hujus porrò generis nullas exhibet tua illa, quam jactas, Auxiliorum Hiſtoria: ut hinc planè vadimonium deſeruiſse

ſeruiſse publicè convincaris. Tu-ne unquam in Angliam atque Bataviam, privati commodi ſtudio, litteras deſtinaſti? Aut fortè quotquot illùc, mercaturæ causâ, litteras ſcribere deprehendes, violatæ religionis ac fidei, initique cum hæreticis fœderis accuſabis? At commodior ea de re dicendi ſe dabit occaſio, in ea, quam paro illius Hiſtoriæ eventilatione; ut tuam illam, qua me territum velles, fabularum & conviciorum ſtruem evertam. Intereà noveris, nullum mihi cum Queſnellio, dum Hiſtoriam ſcriberem, litterarum commercium extitiſse: nec ſuas illum, aut mortalium alterum, in eo adornando Libro, operas contuliſſe: quod & is duplici Scripto publicè denuntiavit.

VIII.

Alterum, quo te malæ fidei poſtulabam, ob ſuppreſſam fragmenti ex Libro meo excerpti partem, unde

Pag. 15 16.

rei

rei ſumma pendebat, elidere niteris atque depellere, lòcum integrum à te paginâ nonâ deſcriptum indigitando. Ac tum igneam indolem, à te olim, dum Pariſiis agerem, obſervatam incuſas, quæ ne rem in ipſos oculos ſalientem viderim, impedivit.

Næ tu Lectores ludis illudiſque; ac dum te optimâ eſse fide probare inſtituis, novum peſſimæ fidei ſpecimen edis? Non id ego tibi vitio dedi, quòd nonâ prioris Epiſtolæ paginâ, citatum fragmentum mutilaſſes; ſed quòd paginâ vigeſimâ-ſecundâ priori duntaxàt fragmenti parte deſcriptâ, alteram, unde rei ſumma pendebat, ſilentio tranſiiſſes. Et quidem, quòd integrum fragmentum dares paginâ nonâ, nihil penitùs intererat. Cùm enim id unum probandum tibi ſumeres eo loci, gratiam efficacem, indeclinabilem & inſuperabilem à me dictam eſſe; ſatis profectò tibi erat, ſi priorem hanc fragmenti partem Lectorum oculis

oculis ſiſteres: *Homo lapſus indeclinabili & inſuperabili gratiâ eget, ut bonum agat, ob eam naturæ infirmitatem, in quam primi parentis peccato incurrit.* Verùm cùm paginâ vigeſimâ-ſecundâ rem longè diverſam probare inſtituiſſes, me ſcilicet, repudiato Thomiſticæ Scholæ dogmate, efficacis gratiæ neceſſitatem ex una naturæ infirmitate derivaſſe: peſſimæ ſanè fidei fuit, quòd illâ duntaxàt, quæ tibi utcunquè favere videbatur, parte laudatâ, alteram, quæ me cum Scholâ Thomiſticâ ſentire convincit, ſilentio miſeris. Sic igitur, ubi nihil cauſæ intereſt, Auguſtini à calumniâ vindicati fragmentum integrum laudas: aſt ubi in rem conducit tuam, decurtas & mutilas. Num id à naturâ & ex idole facias, minùs novi, qui tui memoriam nullam habeo: at id certò ſcio, multâ tibi arte opus eſſe, ne quæ in legentium oculos ſaliunt, ab omnibus videantur.

Ter-

IX.

Tertium, quod majoris momenti fateris eſſe, tuos Cleandri & Eudoxi, de Provincialibus, ut vocant, Litteris Dialogos petebat; quos ab Apoſtolicâ Sede & à Clero Gallicano damnatos dixeram. Qua in re, ſupinâ me ac pingui allucinatione deluſum ais, ac etiam probare ſatagis. *A Pag. 16 ad 28.*

Quid hìc magis mirer, dictorum falſitatem, an præfidentiam, anceps hæreo. Cùm enim ſupinâ me ac pingui allucinatione deluſum oſtendere aggrediaris, nullam ſine ſupinâ, nullam ſine pingui allucinatione periodum ſcribis.

In primis enim Latinum duntaxàt Dialogorum exemplum, non Gallicum, quod unum primigenium vocas, Romæ proſcriptum ais; idque à me cæteriſque omnibus ſciri, maximè aves. Et tamen lato Romæ Decreto, die 17. Januarii 1703. Dialogos

Dialogos illos tuos, cæteroſque ſimul notatos Libros, prohibitos ac damnatos lego, *QUOCUMQUE IDIOMATE ET VERSIONE impreſſos, vel imprimendos, in quocumque loco.* Quamquàm ſi ab eâ cenſuræ formulâ temperatum eſſet, nunquam tamen tuum illud Gallicum exemplar intactum oſtenderes, niſi à Latino, in quibuſdam ſaltem qualiſcumque momenti capitibus, diſcrepare demonſtrares.

Addis, Cenſuram in ſacrâ Indicis Congregatione, in quâ Patrum Prædicatorum authoritas plurimùm valet, fuiſſe diſtrictam. Vèrùm ex ipſo Decreti titulo perſpectum eſt, ex Sacrâ Cardinalium fidei Quæſitorum Congregatione prodiiſſe. *Feriâ quartâ die 17. Januarii 1703. Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium in totâ Republicâ Chriſtianâ Generalium Inquiſitorum &c.*

Subjungis rem certo, ut ais, au-
thore

thore acceptam, nempè Romanum Pontificem præconceptam ex latâ cenſurâ offenſionem viro cuipiam religioſo, à quo rem totam inaudiverat, ſignificaſſe. Ego è contrà, rem dico meliori longè authore compertam, Decretum non niſi jubente Pontifice, ac poſt audita Eminentiſſimorum Principum vota, Cenſorumque ſuffragia, inſtructum eſſe. Ita quippè ſequentia Decreti verba habent: *Prævie relatis Sanctiſſimo Domino Noſtro Clementi Papæ Undecimo eorumdem Eminentiſſimorum votis, & Theologorum cenſuris, DE MANDATO SANCTITATIS SUÆ, præſenti Decreto prohibet & damnat infraſcriptos Libros, videlicet.........*
„ Cleander & Eudoxus, ſeu de Provincialibus, quas vocant, Litteris
„ Dialogi &c.

Abi nunc, & in ſacram, ut facis, Indicis Congregationem debacchare; quòd ab eâ Decretum tibi finxeris prodiiſſe. Eminentiſſimorum Patrum, queis & ipſa conſla-

tur, æquitati, prudentiæ, religioni inſulta; quaſi à Patribus Prædicatoribus, velut è ſacro manipulo pendeant, ſibique ab eis illudi patiantur, ut ex illorum arbitrio nutuque cenſuras expediant; rancidaſque Theophili Raynaudi, *de immunitate Cyriacorum*, hoc eſt Dominicanorum, *à cenſurâ*, querelas inſtaura. Hoc dico tantùm, periculoſæ aleæ plenum eſt, in eos ſcribere, qui poſſunt proſcribere. Et *ſi pœnitentiâ jure plectendus eſt quiſquis cuilibet irrogat injuriam ſacerdoti; quâ tu ſententiâ dignus es, qui illis ſacerdotibus injuriam intuliſti, quorum conſilio & judicio, ſtatus & diſciplina debet totius Eccleſiæ Catholicæ gubernari?* Beati Petri Damiani verba ſunt Lib. 1. Epiſtol. 20. ad Cadaloum.

Pag. 26 Quandoquidèm autem, depreſſâ contemtâque ſacri Cardinalium conſeſſus cenſurâ, Hiſpanorum Quæſitorum judicia in cœlum evehis, mihique Gallo Gallus opponis; eo-

rumque

rumque in definiendis ac decernendis Librorum vetitorum notis acre judicium ſummoperè probas; hoc tibi Cenſurarum Hiſpanicarum ſpecimen habe: ac ſi tibi illarum in Galliâ publicandarum procuratio data eſt, ab iſtâ, ſervato, ut æquum eſt, ordine temporum, initium facito.

Nos Inquiſitores Apoſtolici con-
„ tra hæreticam pravitatem & apo-
„ ſtaſiam......... Notum faci-
„ mus, ad noſtram notitiam deve-
„ niſse, quòd impreſſi & vulgati
„ fuerint quidam Libri, quos man-
„ damus recolligi, & omninò pro-
„ hiberi: qui ſunt ſequentes........
„ ACTA SANCTORUM........
„ Qui omnes ſunt quatuordecim To-
„ mi. Authores eorum, *Godefri-*
„ *dus Henſchenius, & Daniel Pape-*
„ *brochius, Societatis Jeſu.* Quia
„ continent propoſitiones erroneas,
„ hæreticas, ſapientes hæreſim, pe-
„ riculoſas in fide, ſcandaloſas,
„ impias, piarum aurium offenſi-
„ vas, ſchiſmaticas, ſeditioſas, te-

„ merarias, audaces, præſumptuo-
„ ſas; plurium Summorum Pontifi-
„ cum, Sedis Apoſtolicæ, ſacræ
„ Rituum Congregationis, Brevia-
„ rii & Martyrologii Romani gravi-
„ tèr offenſivas; & excellentiarum
„ quorumdam Sanctorum, multo-
„ rumque Scriptorum nimiùm de-
„ preſſivas; & clauſulas multis ſanc-
„ tis Patribus, & graviſſimis Theo-
„ logis Eccleſiaſticis irreverentes.
„ Et ſimiliter, quia continent pro-
„ poſitiones ſtatûs religioſi multa-
„ rum Religionum, & ſpecialitèr
„ Carmelitarum, & ſuorum gravium
„ Scriptorum, multarum Nationum,
„ & ſignanter Hiſpaniæ offenſivas;
„ necnon multorum Authorum, com-
„ muni æſtimatione veridicorum de-
„ tractivas: ac denique quia in dic-
„ tis operibus multa hæreticorum,
„ & aliorum infamis notæ Autho-
„ rum, à Summis Pontificibus & ab
„ Eccleſiâ prohibitorum & condem-
„ natorum, continentur elogia; quo-
„ rum doctrinis utuntur, ut eas quæ
ſunt

„ ſunt Sanctorum, & Eccleſiæ tradi-
„ tiones impugnent.

Ideò mandamus &c. . . . . In
„ Aulâ noſtræ Audientiæ Sancti Offi-
„ cii Inquiſitionis Toletanæ, die 14.
„ Novembris 1695.

Turpiùs longè multò Cleri Gallicani cenſuram conaris elidere, qui cùm te verteris in omne latus, ne judicio cecidiſſe videaris, in putidos tandem errores incidis, novâ cenſurâ percellendos. Res in propatulo eſt. Confixam enim Anno 1700. in Comitiis Gallicanis propoſitionem oculis ſubjicis: *Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus æquivocationibus, ſive amphibologiis & reſtrictionibus mentalibus uſi ſunt.* Tum latam cenſuram adnectis, in hæc verba: *Hæc propoſitio ſcandaloſa eſt, temeraria, myſticè, propheticè, parabolicè, ſivè œconomicè, ad inſinuandam altiùs veritatem, dicta vel tacita, cum vulgaribus geſtis confundit, ſanctorum Patrum acta ludibrio vertit, ipſis etiam An-*

gelis injurioſa , *erga Chriſtum contumelioſa* , *& impia.* Ac tandem, ut tuam illam de æquivocis mentiſque, ut ajunt, reſtrictionibus Scriptionem, eo telo minimè petitam evincas, id perbellè reponis, te utriuſ-
Pag.22 que partis argumenta poſuiſſe duntaxàt; (quorum videlicèt benè multa eò tendunt, ut Patriarchas, Prophetas, Angelos, ac Chriſtum ipſum, amphibologiis, æquivocis, verbiſque mente reſtrictis uſos oſtendant;) teque ad ultimum pronuntiaſse: *tam impeditas utrinque difficultates occurrere, ut quam in partem deſcenderes, animo pendeas:* Quo te reſponſo abſolutum obtendis. Eo ergo, velis nolis, errore laborare convinceris, *ut ſcandaloſa, temeraria, Angelis injurioſa, Chriſto contumelioſa & impia propoſitio*, uſque adeò probabilis haberi poſſit, ut de eâ reprobandâ aut amplectendâ dubitare vel prudentiſſimus poſſit.

Sed & id procul abit à vero, quod

quod tantâ fidentiâ venditas, ut illudas: te ſcilicèt partis utriuſque momenta ſimplicitèr poſuiſse, nec in alterutrâm propendiſſe. Id quidem initio denuntias, teque ita factarum Lectoribus ſpondes, ut publicam bonorum omnium invidiam effugias: at fidem fallis, tantumque abeſt ut promiſſum exolvas, ut potiùs ſecùs agas omninò; & in partem æquivocis faventem pedibus manibuſque venias, navigiis atque quadrigis. Theologorum enim æquivocorum uſum damnantium momenta levitèr ac defunctoriè percenſes; probantium è contrâ fuſo ac redundanti ſermone proſequeris. Illa derides, facetiis, ludis, ac nauci facis: iſta probas, confirmas, urges, Scripturarum oraculis munis, iiſdemque, quantum potis es, robur addis. Priores ſani dogmatis defenſores conviciis identidèm oneras: *Moralis Chriſtianæ reformatores* ironicè dicis; *Calumniatores* diſtinctis verbis appellas: Alios ex ad- Pag. 374. & 35

 verſo

Ibid. verſo proſcriptæ ſententiæ Magiſtros omni verborum honore proſequeris: Pag. *Eruditos ac ſanctos Theologos* vocas: 376. *magni momenti rationibus ductos* ais: 366. *prudentes in primis & cautos* prædicas; 367. *qui orituris quibuſvis incommodis ſapienter occurrerint.* Uno verbo, ſententiam à Clero Gallicano tam turpibus notis inuſtam, *Scripturæ exemplis & oraculis fultam*, dicis; *Patrum explanationibus congruentem*; *Sanctorum benè plurium agendi loquendique rationibus confirmatam.* Hoccine eſt, nullarum (ut ſpoponderas) eſſe partium; ac non potiùs peſſimas omni virium contentione defendere? Quamquàm nec ſi promiſſis ſtetiſſes, tuo functus officio cenſeri poſſes. Ubi enim diſciplinæ Evangelicæ cauſa vertitur, Viro Theologo piaculum eſt, ad neutram ſe partem adjungere; maximè ubi alteram Eccleſiæ judicio proſcriptam videt. Neque enim ignoraſſe te puto, jam tum ab Anno 1679. hanc inter alias pravi dog-

matis

matis aſſertiones, ab Innocentio Undecimo fuiſſe confixam: *Cauſa juſta utendi amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt, ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa.*

Jam quò te contradicendi ac repungendi ſtudium abripit, dum depulſam, ut tibi videris, accuſationem in nos regerere niteris: nec te tuoſque, ſed Dominicanos, atque Banneſium in primis, hac ipsâ Cleri Gallicani cenſurâ inuſtos effutis? Egregiè tu quidem, qui id Lutetiæ ſcribas. Ecqui, quæſo, totâ Urbe Regiâ circumcurſare, urgere, inſtare, adniti, Magnatum opem deprecari, omnemque movere lapidem viſi ſunt, quo tempore Cleri Comitia haberentur, ut hoc à ſe fulmen averterent? Veſtri-ne, an noſtri? Unde & à quibus tot exciti motus, auditæ querelæ, ac tantùm

tùm non minæ, ne meditata cenſura ex juris formulis vulgaretur? Quæ omnia in has etiam terras, alio fermè ſub ſole poſitas, publicis nuntiis ferebantur. Certè noſtri non modò ut judicium morarentur, quaſi ſuis cervicibus impenderet, ne pedem quidem moverunt, ſed ut ferretur, ad Chriſtianæ morum diſciplinæ munimentum, fuſis ad Deum precibus, efflagitarunt; latumque ac publicatum laudarunt, commendarunt, ac veluti partâ victoriâ triumpharunt. Et tamen, quaſi tuas Garamantis & Indis fabulas venderes, non veſtros, ſed noſtros eo telo petitos obtrudis. O dictum bene! Eia itaque, pergè tam fido nepenthe ſopire curas: & ſi quandò pronuntiatum contra prophanos, ut boni omnes augurantur, Sinenſium cultus, judicium Pontificium vulgari continget, non veſtros, ſed noſtros causâ cecidiſſe, pari fidentiâ prædica. Gratos identidèm ludos dabis.

Age

194

Age tamen, & quid tibi, ut in nos, ac potiſſimùm in Bannesium hanc fabam cudas, in causâ ſit, perpendamus. Hic, inquis, 2. 2. quæſt. 69. art. 2. motâ quæſtione, quo pacto Reus ſe gerere debeat, quando interrogatur contra ordinem juris, hæc habet: *Pro hujus explicatione ſupponenda ſunt fundamenta certiſſima. Primum fundamentum eſt, quod Reus in tali caſu non teneatur reſpondere. Secundum eſt, ſi reſpondeat, licitum eſt illi uti ratione amphibologicâ in uno ſenſu, licet Judex accipiat eam in alio ſenſu. Neque hoc eſt fallere Judicem, quia non tenetur Reus explicare amphibologiam. Tertium fundamentum eſt, cum Judex interrogat contra ordinem juris, ſivè Reum, ſivè teſtem, an ſciat aliquid, licitum eſt reſpondere neſcio, & jurare quod neſcit, etiamſi ſecretò cognoverit. Ratio hujus fundamenti eſt: quia jam apud omnes receptum eſt, ut illud dicamus nos neſcire, quod ſecretò novimus. Et habet hoc*

dictum

dictum fundamentum in Evangelio Marci 13. De die illâ nemo ſcit, neque filius hominis: *Quod intelligitur, ut revelet.* Hanc tu ultimam Banneſii rationem grandioribus caracteribus repræſentas, ut oculos impleant: aiſque id ipſum eſſe, quod ut impium Chriſtoque injurium latâ cenſurâ damnavit Clerus Gallicanus.

Aberras toto oſtio, ac præſtantiſſimo Theologo injuriam irrogas. Equidem is in notatam impietatem lapſus videri poſſet, ſi Chriſti verbum, judicii diem ſe neſcire affirmantis, in ſecundi (quod & mihi minùs ſapit) fundamenti probationem attuliſſet; utque Reos contra juris ordinem interrogatos, amphibologiis uti poſſe demonſtraret. Sic enim Chriſtum æquivoco verbo uſum innueret. At ſecùs longè res habet. Ad tertii quippè fundamenti probationem, Chriſti exemplum adduxit, ut videlicèt uſu receptum oſtendat, ut illa nos neſcire dicamus,

195

mus, quæ ſecretò duntaxàt novimus. A quo quidem loquendi uſu procul abeſt amphibologiâ, aut verbum æquivocum: cùm verba ex publico uſu ſenſum accipiant: nemoque ſit, qui Confeſſarium, exempli gratiâ, ea ſe neſcire affirmantem, quæ ex ſecretâ confeſſione novit, æquivocis uti verbis effutire audeat. Id itaque eo in capite Banneſius docuit, quod ſummi Societatis tuæ Theologi docuere, atque iiſdem fermè verbis.

Suares 3. part. quæſt. 10. art. 2. ubi hæc ipſa Chriſti Domini verba commentatur: *Ultima, inquit, & vera expoſitio eſt, Chriſtum negaſſe ſe ſcire, quia veluti ſub ſecreto illud ſciebat, & non ad dicendum aliis. Quæ optimè quadrant contextui & reſponſioni Chriſti Domini, & phraſi Scripturæ......... Conſonat etiam hæc expoſitio, CUM COMMUNI ET PRUDENTI LOQUENDI MODO, QUO EA QUÆ SUB SECRETO ACCIPIMUS, NESCIRE DICIMUS.*

Et

Et hæc eſt communis expoſitio Patrum.

Vaſques 3. par. quæſt. 12. cap. 2. Alphonſi Caſtrenſis interpretamentum, à Banneſii explicatione nihilo diſſidens, pari obſervatione confirmat. *NAM ET NOS*, inquit, *VERE DICERE POSSUMUS EA IGNORARE QUÆ OCCULTA SUNT, quia manifeſtare non debemus.*

Molina 1. par. quæſt. 12. diſp. 5. art. 8. mem. 8. *QUANDO ALIQUID SECRETO' ACCIPIMUS, INTERROGANTI DE EO POSSUMUS DICERE SINE MENDACIO NOS NESCIRE, eo videlicet ſenſu, ut revelemus. Quare cum Chriſtus Dominus cognitionem hanc acceperit, eâ lege ut ſecretò ſervaret. . . . . . . ideo ſine mendacio dixit, neque filium ſcire, ſcilicet ut revelet.*

Cardinalis de Lugo de Incarnatione diſp. 19. ſect. 1. *Communiter expoſitio eſt Hieronymi, Auguſtini, Chryſoſtomi, Ambroſii, Athanaſii, Hilarii, & aliorum, quam ſequun-*

tur

135

tur recentiores omnes, Chriſtum neſcire diem illum, quia illum acceperat ſub ſecreto. QUÆ AUTEM SCIMUS EO MODO VERE DICIMUS NOS NESCIRE, quoties importunis interrogationibus urgemur.

Cornelius à Lapide in caput 24. Matthæi ad verſum 36. *Negat Chriſtus id ſe ſcire, ut homo eſt, & ut Dei legatus erat ad nos: quia non ita ſciebat, ut revelare hominibus poſſet: ſive illud revelare non habebat in mandatis à Patre. Sicut Legatus ſi rogetur de ſecretis Regis ſui; verè reſpondet ſe ea neſcire, etiamſi illa ſciat, quia illa neſcit ut legatus. Ut legatus enim tantùm refert illa, quæ illi à Rege dicenda commiſſa ſunt: ſecreta enim ab eo taceri juſſit Rex.*

Nullus porrò, in ea loquendi formulâ, amphibologiæ aut æquivocorum uſus, ut anteà monui: quia quiſquis verba juxta communem uſum uſurpat, nugatoriis iis artibus haud opus habet; ut abditos ſenſus mente condat, queis mendacium

cium evitet. Aliàs Eccleſiæ Patres, qui hoc idem ante Scholæ Theologos Dominicis verbis interpretamentum accommodarunt, Hieronymus, Chryſoſtomus, Theophilactus in caput 24. Matthæi, Ambroſius Libr. 5. de fide cap. 8. Baſilius Libro 4. contra Eunomium, Auguſtinus Libro 1. de Trinitate cap. 12. Cyrillus Libro 9. de Trinitate, æquivocorum artem Chriſto tribuiſſe cenſerentur, quod abſit.

Perperam itaque locum illum Banneſii cavillaris; ut propoſitionem à Cleri Gallicani Præſulibus inuſtam, ex illo excerptam effutias: cùm is Chriſti dictum, ad æquivocorum uſum confirmandum minimè detorſerit; ſed ut uſu receptum oſtenderet, ut ea neſciri dicantur, quæ ſecretò ſciuntur. Fruſtra foris quæris, quod domi habes. Conſule, ut de cæteris taceam, Thomam Sanches Tomo 1. Operis Moralis, in præcepta Decalogi Libr. 3. cap. 6. num. 15. & proſcriptam aſſertionem

nullo

nullo negotio deprehendes. *In ſacris Litteris*, inquit ille, *hic loquendi modus* (nempè verbis æquivocis, ac mente reſtrictâ) *uſurpatur. Nam Chriſtus Joannis 7. dixit :* non aſcendam ad diem feſtum hunc : *& tamen ſtatim aſcendit : quæ tamen oratio vera fuit, ex addito mente Chriſti retento ; ſcilicet non aſcendam manifeſtè : quem ſenſum ea verba ex ſe non faciebant. Et Tobiæ 5. Angelus dixit :* Ex filiis Iſrael ego ſum, Azariæ Ananiæ magni filius : *quæ verba ſunt vera juxta eorum interpretationem, retentam in monte Angeli ; falſa autem ſecundùm propriam ſignificationem. Et Geneſis 27. Jacob dixit ſe eſſe Eſau, & feciſſe quæ ſibi præceperat Iſaac : et tamen multi, quos refert & ſequitur Perreira in eum locum, tota diſputatione 5. eum à mendacio vindicant, propter ſenſum à Jacob intentum. Et Judith multa dixit Holopherni, quæ ſecundùm verborum intellectum à mendacio excuſari nequeunt ; at excuſantur ſe-*

 cundùm

cundùm aliquem myſticum intellectum, authore Divo Thoma &c. Annon hìc, amabo, magnâ pompâ explicatum habes, quod inuſtâ propoſitione compendio continetur: *Patriarchæ & Prophetæ, Angeli, ipſe Chriſtus, nedum viri juſti & ſancti æquivocationibus ſivè amphibologiis & reſtrictionibus mentalibus uſi ſunt?*

Cùm verò hæc omnia, ab aliis uſurpata ac mutuata, non retuleris modò, ſed & calculo comprobaris, utì paulò antea demonſtravi, habe tibi tuiſque Cleri Gallicani cenſuram; nec quod ſummo jure veſtrum eſt, noſtrum dicito.

Pag. 27 28. Eam tu æquivocorum artem non probas modò, ſed exerces ipſe, ac mirâ certè dexteritate, ſummis ejuſdem Profeſſoribus hactenùs inauditâ, dum meam Auxiliorum Hiſto-

Les chiffres riam, in arcanis, ut vocas, Janſenianorum notis, *Harmonicam fabulam* dici ais; ſeu, ut Gallicè ſcribis, *L'Opera de Bannereti*, ut hinc irridendi anſam arripias. Etſi enim

nunquam

nunquam mihi arcana illa patuerint; & quas verbo tenus ſubindicas Epiſtolas prorsùs ignorem; te tamen æquivoco Lectores ludere, haud obſcurè conjicio: vocemque Italicam, opus ſeu Litterariam lucubrationem Italis auribus ſignificantem, Gallis, quibus harmonicam fabulam ſonat, obtrudere, ut illudas. Dignum præceptore ſummo æquivocorum ſpecimen, unde tyrones exemplum capiant!

Opera Italicè idem quod opus, ſeu litteraria lucubratio. Sul'Opera di S. Tomaso, *Opus S.Th.*

X.

Reliquâ Epiſtolæ parte, à ſuſceptâ reſponſione procul aberras, totoque cœlo disjunctum argumenti genus aggrederis, instituto de primis moralis diſciplinæ corruptoribus prolixo ſermone, de quibus nulla mihi tecum contentio fuit.

A pag. 28 ad 54.

Quàm ineptè hanc Epiſtolæ tuæ laſciniam aſſueris, ſatis ipſe perſentis, qui ne tibi tam devium, qui me nihil attingit, exceſſum quis

vitio vertat, editamque à te aliâ fortè occaſione ſcriptiunculam, huic demum Epiſtolæ, præter rem & inſtitutum, inſertam objiciat, id unum initio laboras, ut ne longiùs acceſſita videatur. Quare hanc tibi oblatam à me occaſionem ſignificas, quòd pag. 4. ſcripſerim, *me doctrinæ integritate, veritate & æquitate ſatis abundè contentum, minùs tibi Gallicæ linguæ facundiam invidere.* Quaſi verò, de altero doctrinæ capite, quàm quod totâ Epiſtolâ vindicandum aggrediebar, iſta dixiſſem; aut fortè de moralibus, aliiſque communibus Scholæ Thomiſticæ placitis, quibus à Molinianâ diſſidet, dum hæc ſcriberem, diſputaſſem; ut hinc tuam mihi de probabilibus opinionibus tractationem obtrudendi anſam arriperes? Quid ni eodem obtentu quamlibet alteram Theologicam commentationem, quâ Scholam Thomiſticam peteres, conſuiſti? Omnes enim ex æquo congruerent, paremque occa-
ſionis

193

ſionis opportunitatem obtrudere poſſes, quòd domeſticæ doctrinæ integritatem ac veritatem audaciùs oſtentaſſem.

At, ut video, conflatæ in me unum accuſationi ſuſtinendæ impar, alteram, quæ me nihil attingeret, quæque pateret latiùs, intentaſti. Cùmque præteritarum controverſiarum uſu didiceris, quàm altum Scholæ veſtræ vulnus inflixerint, qui Chriſtianæ Ethicæ corruptelas à veſtris invectas, tam facetè tam lepidè deridendas omnibus propinarunt; parem te nobis plagam illaturum exiſtimaſti, ſi peregrinam totoque cœlo disjunctam tractitionem aſſueres, quâ Scholæ noſtræ Magiſtros, in laxandâ morum diſciplina veſtris præluſiſſe contenderes.

Verùm obtuſum diù, multaque rubigine exeſum hoc telum eſt. Quidquid enim ex Thomiſticæ Scholæ Profeſſoribus congeſſiſti, ut illos moralis diſciplinæ corruptores

oſtendas, partim ex infami *Caſuiſtarum Apologiâ*, tot Apoſtolicæ Sedis, Academiarum, ac Præſulum cenſuris inuſtâ, partim ex Amadæi Guimenii pari infamiæ notâ confixis Opuſculis, partim ex Stephani Deſcampii *Quæſtione facti de probabili opinione*, petitum eſt. Ea quippè horum Scriptorum calliditas eſt, ut ſi qua, in moralis Theologiæ tractatione, gloriæ colligendæ ſpes affulget, in Societatis Scriptores integram referant, ægrè aliorum conſortium admittant; aut ſi excludi nequeunt, primam domeſticis vindicent: ubi verò res eſt plena periculi, laxatæque morum diſciplinæ timetur invidia, non modò ſocios, ſed duces etiam atque Magiſtros, ex aliis interdùm Familiis, ubique verò ex Dominicanis aſſumant.

Quare cùm nihil novi ingeras, ſed veterem duntaxàt cantilenam, ac etiam extra chorum occentes, veterem tibi reſponſionem habeto: Dominicani videlicèt Inſtituti vindi-

cias,

8c3

cias, adversùs geminam Guimenii & Deſcampii lucubrationem, antè annos circiter quadraginta, à Vincentio Baronio, ut alios ſileam, adornatas: queis Scholæ Thomiſticæ Profeſſores, ab inductâ morum laxitate vindicat datâ operâ, cunctis in cenſum vocatis, quos Guimenius ad corruptelæ præſidium appellaverat; dataque occaſione, facti Quæſtionem à Deſcampio publicatam, quam & tu intactam exiſtimas, diſpungit ex integro. Has tu, dum novi aliquid ingeras, reſponſiones habeto; ac ſi fortè prurit calamus, in iis confutandis exerce. Etſi pruriginem omnem, ut opinor, tollere potuit, habita non ita pridèm eâ de re cum Natali Alexandro (quo Magiſtro glorior ac triumpho) litteraria concertatio, unde tam infelicitèr emerſiſti; majora etiam damna laturus, niſi (ut eſt ille Regiis mandatis obſequentiſſimus) indictum utrique ſilentium multò te ſanctiùs ac religioſiùs coluiſſet.

Manuductio ad moralem Theologiam par. 2.

A pag. 32. ad 54.

Nonnullas duntaxàt animadverſiones adjiciam, quò cuique perſpicuum fiat, quàm caſſam ac ſubdolam in ea recoquendâ crambe operam ponas.

1. Imprudentis omninò conſilii eſt, Prædicatorum Ordinis, ab Annis fermè quingentis Scholas Catholicas occupantis, communem de probabilibus opinionibus mentem ac ſenſum, à nuperis duntaxàt Scriptoribus colligere velle, qui ab Anno circitèr 1577. quo ſuos Bartholomæus Medina Commentarios evulgavit, ad Annum 1659. quò veſtrorum *Caſuiſtarum Apologia* à Theologis Pariſienſibus inuſta eſt, de morum regulis diſputarunt: (quod tu, tuuſque Deſcampius factitatis:) ac non potiùs à totâ retrò Scriptorum ſerie, atque ab iis maximè, qui ab Ordinis incunabulis, rem Theologicam pertractarunt. Eo fermè modo, quo Eccleſiæ Catholicæ, de rebus morum ac fidei, mentem atque ſententiam ſolemus excerpere.

Quia

Quia manantes à primo fonte rivulos, cùm longiùs à ſcaturigine receſſerint, paululùm infici, & externarum rerum admixtione perſæpè turbari compertùm eſt.

2. Nazarius, Prieras, Banneſius, Ledeſma, Alvareſius, Martinez, Ildephonſus, qui primas, inter laudatos à vobis laxitatis Magiſtros, ex nominis famâ tenent, perperàm omninò vocantur in cenſum; quorum alii vagæ probabilitatis uſum datâ operâ confutarunt: alii quam tutò tenendam probabilem opinionem exiſtimant, iis circumſcriptionibus muniverunt, ac legibus illigarunt, quæ periculum omne ſubmoveant, omnemque veſtris Scriptoribus familiarem laxitatem eliminent: quod Vincentius Baronius Vindiciis paulò antè laudatis, ſuiſque Natalis Alexander Epiſtolis, multis oſtendunt. Quin Medina ipſe, à quo prima cœpiſſe dicitur mali labes, quique præ cæteris difficillimè in rectam ſententiam flecti poteſt, ab ea Sancheſii

veſtri,

veſtri, Tamburini, Azorii, aliorumque laxitate procul abeſt, quà unius duntaxàt viri docti ac pii ſuffragium ſatis eſſe contendunt, ut opinio tuta atque probabilis cenſeatur. *Opinio quippè*, ait ille, hoc ipſo quem indicas loco, nimirùm 1. 2. quæſt. 19. art. 6. dub. 6. concl. 3. *non dicitur probabilis ex eo quod in ejus favorem adducantur rationes apparentes, & quod habeat aſſertores & defenſores: nam iſto pacto omnes errores eſſent opiniones probabiles: ſed ea opinio probabilis eſt, quam aſſerunt viri ſapientes, & confirmant optima argumenta, quæ ſequi nihil improbabile eſt....... Opinio probabilis eſt conformis rectæ rationi, & exiſtimationi prudentum & ſapientum.* Immò dub. 4. concl. 3. hanc Chriſtianæ Ethicæ regulam ſtatuit: *Quandò pro una parte certum eſt, & pro alterâ dubium, peccatum eſt ſequi id quod dubium eſt. Hìc enim habet vim regula magiſtralis: in dubiis tutior pars eligenda eſt.* Et concl. 4. *Quando ex utraque parte dubium*

bium eſt, & non poteſt deponi dubium, ſequenda eſt tutior pars: quòd ſi neutra tuta fuerit, ſequenda eſt minùs periculoſa. Quo decreto vagæ probabilitatis uſus ab imo ſuffoditur. Fieri quippè non poteſt, ut qui novit, opinionem alteram legi faventem, probabiliorem & ipſam eſſe, pluriumque Doctorum ſuffragiis ac rationibus nixam, nullo tamen dubio agitetur, dum eâ relictâ, minùs probabilem, pauciorumque ſuffragiis ac rationibus fultam amplectitur.

3. Lectoribus de induſtriâ fucum facis, illudiſque turpitèr, ut ſiniſtram de Scholâ Thomiſticâ opinionem imbibant. Cùm enim probare inſtituas, Thomiſtas non ſecùs ac tuos, uti Chriſtianæ Ethicæ corruptores, Provincialibus, quas vocant, Litteris ludi poſſe; eaque de causâ, tranſcriptâ Epiſtolæ quintæ laſciniâ, rei periculum facias, Dominicano Interlocutore domeſticorum de probabilitate placita recitante, in tui illius boni Patris locum ſubrogato;

qui

qui ut anſer inter olores, gratis apud Montaltium næniis intercinebat; ſic eum de nuperis conſcientiæ caſuum arbitris, Auguſtino, Chryſoſtomo, Ambroſio, Hieronymo ſuffectis, cum Montaltio ipſo, colloquentem inducis: *Eruditi & celebres juxtà fuere. Hem tibi: Villalobos, Conink; Llamas, Achokier, Dealkoſer, Dellacrux, Veracrux, Ugolin, Tamburin, Fernandes, Martinez, Suares, Henriques, Vaſques, Lopes, Gomes, Sanches, de Vechis, de Graſſis, de Graſſalis, de Potigianis, de Graphæis, Squilanti, Bizozeri, Barcola, de Bobadilla, Simancha, Peres de Lara, Aldreta, Lorca, de Scarcia, Quaranta, Scophra, Pedrezza, Cabrezza, Biſbe, Dias, de Clavaſio, Villagut, Adam à Manden, Iribarne, Binsfeld, Volfangi à Verbergh, Voſtheri Strereſdorf.* Hìc ego (Montaltius) *vehementiùs perterrefactus, obſecro, mi Pater; ſunt ne illi Chriſtiani? Quid ais, Chriſtiani? Immò ut jam dixi, borum inſtitutis totum*

reginius

203

regimus orbem Chriſtianum. Indolui hujus hominis cæcitati : repreſſi me tamen , & tantùm quæſivi an omnes illi Dominicani fuiſſent. Neutiquàm verò , inquit ; ſed quid refert , dum præclara ſcripſerint , à nobis quidem ut plurimùm ſumta aut expreſſa : at nos honos iſte non admodùm tangit &c. Quis id à te recitatum atque deſcriptum legat , ut Dominicanos jocum ludúmque facias ; ac non ſtatìm in animum inducat , recenſitos ab Dominicano Interlocutore moralis diſciplinæ Magiſtros , priſcis Eccleſiæ Patribus ſubrogatos , aut omnes , aut certè partem illorum maximam , Dominicanâ profeſſione cenſeri ? Id enim ſuſcepti conſilii ratio poſtulabat , ut quidpiam in eos , quos traducere paras , obtineas. Ac certè nonnullos tuâ illâ arte deluſos novi ; quibuſcum , ut dedocerentur , longa mihi contentio fuit. Et tamen qui ſucceedaneos illos ſacræ Ethicæ Tractatores probè nôrunt , partem illorum maximam è Societate prodiiſſe (quod

Mon-

Montaltii inſtituto apprimè congruebat) perſpectum habent, paucos ex aliis Inſtitutis, è Dominicanis verò vix unum & alterum.

4. Cùm primùm in Galliis noſtris, contra vagæ probabilitatis laxitates, claſſicum inſonuit, & ad eas chriſtianæ Ethicæ corruptelas eliminandas exarſit piiſſimorum Paſtorum zelus ac vigilantia, ea fuit Prædicatorum Ordinis religio atque prudentia, ut ſuos, ſi qui fortè communi veſtrûm contagione infecti deprehenderentur, non modò reliquerint indefenſos, ſed ſpontè ipſi rejecerint; ſuaſque Eccleſiæ Principibus, ut hanc à fidelium cordibus peſtem averterent, operas commodarint. Quos inter enituere, Petrus Louvetus Pariſienſis Provinciæ Præpoſitus, & Olivarius Richecorius Studiorum noſtrorum Lutetiæ Moderator, qui juſſu Vicariorum Generalium, Probabiliſmi fontem ac rivos in veſtrâ Caſuiſtarum Apologiâ,

unà cum cæteris deſignatis Theologis proſcripſerunt; Vincentius Baronius, Joannes Baptiſta Gonetus, Petrus Labatus, Vincentius Contenſonius, Jacobus à Sancto Dominico: ut nihil de Hiſpanis & Italis dicam hìc, qui nec ſuam, in ſacro opere promovendo, induſtriam deſiderari paſſi ſunt. Cùm veſtri ex adverſo, encyclicis Præpoſitorum Epiſtolis animati, totius Societatis honorem in privatorum defenſione poſuerint; pro tutandis vagæ probabilitatis finibus, tanquàm pro aris ac focis, concordibus animis decertarint; Academiarum Cenſuras irriſerint; ipſoſque Eccleſiarum Rectores in novitatem armatos, utì profeſſos Societatis hoſtes, mille conviciis onerarint.

15. Prædicatores eo ex tempore alienis periculis ac damnis edocti, morum diſciplinam, ne quid laxi nimis excideret, tractarunt cautiùs; & probabilitatem multò quàm anteà vehementiùs impugnarunt; ſeu quòd

nimios

Digitized by Google

nimios ejuſdem abuſus, ac ſuccreſcentes indè ſurculos à Summis Pontificibus palàm apertèque damnatos viderint; ſeu quòd ad ſuccidendam ab imis radicibus fatalem arborem, Galliarum præſertìm Epiſcopos, bonoſque omnes conſpirantes experti ſint. Socii ex oppoſito, nec propriis quidem periculis cauti, uſque adeò ad eam tutandam animum obfirmarunt, ut ſi qui fortè ſuorum, in hanc Chriſtianæ Ethicæ corruptelam acuerint calamum, ſævitum in eos ſit, nec ſummis etiam capitibus parcitum. Hæc indicare ſat eſt, ſunt enim in omnium oculis poſita: ut hinc omnes intelligant, vos ne jure quidem, in tuendâ probabilitate, Prædicatorum magiſterio læturos, etſi vobis, quod falsò dicitis, in eo cudendo dogmate prælusiſſent. Adhuc enim, ſi re ipsâ ſic eſſet, celebrato Auguſtini Reſponſo, Donatiſtis Africanorum Præſulum authoritati præfidentibus, non ſemel illiſo, (ſeclusâ tamen comparationis

nis invidiâ) locus eſſet: *Vos certè nobis objicere ſoletis Cypriani Litteras, Cypriani ſententiam, Cypriani Concilium: cur authoritatem Cypriani pro ſchiſmate veſtro aſſumitis, & ejus exemplum pro Eccleſiæ pace reſpuitis?* lib. 2. de Baptiſmo cap. 3.

Cæterùm qui tam appoſitè, toleratas pari gloriæ cumulo, ab naſcente Prædicatorum Ordine, & exoriente Societate vexationes oculis ingeris, (puto, ut qui laxatæ morum diſciplinæ & defenſatæ probabilitatis invidiam nobiſcum partitus eras, toleratæ quoque à primâ utriuſque Inſtituti origine, perſecutionis gloriam amicè divideres;) noveris, non alio magis Prædicatorum Ordinem, cum primùm illuxit, turbine jactatum eſſe, quàm quem illi profligandæ vagæ probabilitatis zelus, & retinendæ purioris Ethicæ ſtudium concitavit. Hanc ſiquidem excitati in noſtros & Franciſcanos primi turbinis originem ferunt, quòd propoſitâ Academiæ Pariſienſi ab Guillelmo Pag. 51

Epiſcopo quæſtione, num tutò quis plura ſimul ſacerdotia poſſit adire, (quam non ita pòſt Doctor Angelicus ſub hoc titulo pertractavit, *Utrum qui habet plures præbendas peccet, ex hoc ipſo quòd contrariæ ſunt Magiſtrorum opiniones?*) viris præſertim Religioſis agentibus ac ſuffragantibus, plenâ urnâ, decretum ſit, neminem, citra ſalutis periculum, pluribus Beneficiis frui poſſe, ſi ex uno in annuos reditus 15. Libras Pariſienſes perciperet, quæ pretio nunc Gallico ferè quingentas æquiant: idemque illi è ſacro ſuggeſtu ſummo animi fervore denuntiarint. Quo exulcerati ambitioſi ac præcupidi Sacerdotes diram in illos tempeſtatem conciverunt. Academiæ apud Fratres Prædicatores congregatæ judicium, Anno 1238. latum recitat, qui tunc Pariſiis aderat, Thomas Cantipratanus Libro 1. Apum cap. 20. num. 5. habitas verò à viris Religioſis ea de re conciones, indeque excitatum à Guillelmo Fani Amoris, aliiſque æmu-

Quod l. 8. ar. 13

206

æmulis tempeſtatem narrat Paulus Æmilius, Lib. 7. de Rebus geſtis Francorum: *Sacri Mendicantium cœtus votivam paupertatem laudibus efferentes, in divites Sacerdotes concionabantur; eorum cupiditate & ambitione, ſervorum Dei numerum multis partibus imminui; alios bina, alios terna, alios plura ſacra, eaque opulenta Sacerdotia habere. Hæc illi prædicantes habebant adverſarios ſummos viros, & magna (ſi modum ſapientiæ impoſuiſſent) ingenia; in quibus Guillelmus à Fano Amoris, qui damnatis ſemel Pauperibus à Lugduno, paupertatis mendicitatiſque profitendæ ſpecimen ſublatum contendebant. Pontifex Maximus Alexander ſacros paupertatis Ordines, ex uſu pietatiſque Chriſtiani nominis habendos cenſuit, qui tunc & eruditionis & ſanctitatis gloriâ præſtabant.*

Hanc primariam Prædicatorum Ordinis notam, pro quâ tam egregiè ſuſtinendâ, Majores noſtri vitæ fortunarumque periculum adiere,

 poſte-

Alex. VII. ad Patres Dominicãos in Comitiis Generalibus congregatos Anno 1656.

poſteris ex aſſe relictam norunt Romani Pontifices, qui tot novarum opinionum, diſciplinæ Evangelicæ integritatem probabilitatis obtentu depravantium pertæſi, remedium à noſtris afferri vehementiùs optarunt; vulgatiſque in publicum uſum, ex ſaniori Divi Thomæ doctrinâ, moralis Theologiæ commentariis, gliſſenti in dies malo occurri juſsere. Norunt Gallicanæ Eccleſiæ Præſules, qui nullos è tot virorum Religioſorum Cœtibus, adversùs vagæ probabilitatis uſum, infamemque *Caſuiſtarum Apologiam*, totius corruptelæ ſentinam atque colluviem, majori ſcriptionum copiâ decertantes experti ſunt. Hanc Prædicatorum Ordinis notam quiſquis fronte non præfert, nec noſter eſt, nec à noſtris agnoſcitur, etſi forſan à nobis exierit: quidquid, quovis in Libro, hac Ordinis notâ ſignatum non eſt, id à nobis nec recipitur nec probatur; apud quos hæc certa lex eſt, ſummo conſenſu ſancita: *Caveant ab*

In Ord. Capit. Gener.

omni

omni prurìtu exoticarum minuſque cum litterâ Sancti Thomæ cohærentium opinionum; præcipuè verò in Moralibus, ubi preſſiùs de ſalute ac indemnitate animarum agitur. Porrò in his ſtudeant omni cautelâ evitare opiniones laxas, novas, & parùm tutas; abſtineantque à paradoxis ac monſtris recentium placitorum, ſeu problematum, quæ magis vanitati ac periculoſæ oſtentationi militant, quàm veritati.

X I.

Amarâ ac virulentâ declamatione Epiſtolam claudis, quâ non ſcribere videris, ſed furiis agi, horrenda in me convicia evomens, ac pleno modio: quòd moralem Societatis diſciplinam (de probabilibus autem loqueris) ſcriptis felle & abſynthio reſperſis irriſerim; eâque ratione Inſtitutum Eccleſiæ haud parum utile, exſcriptis, quas vocant, Provincialibus Litteris, denigrarim: quòd te Auguſtini vindicias, adversùs Launoium adorPag 54 55. 56.

adornantem, temerè laceſſiverim; quòd novatoribus, hæreticis, perduellibus arcto fœdere junctus ſim: quòd hæreticorum, à quibus ſeductus ſum, plauſus & exiſtimationem mihi collegerim: quòd religioſo Inſtituto probro ſim ac dedecori: & quidquid lubet.

Quî tantus, mortalium humaniſſime, icto capiti accedere fervor potuit, ut tot in me brevi pagellâ convicia congereres? Ille-ne ipſe es, qui me neglecti inter ſcribendum officii atque honeſti, paulò anteà commonebas; teque à conviciandi animo procul eſſe dictitabas? Quî ſcriptorem quantumlibet eruditum, ſi modum verbis excedat, haudquaquàm virum probum habendum, tuo illo Theologico Tractatu docuiſti; illudque Athenæi viſus es confirmare: *Viris injuriarum conviciorumque ſtudioſis convenire, ut in aſellorum ſimiliumque ferarum naturam ingrediantur?* At, ut video, non ſedato duntaxàt atque tranquillo, ſed & pio ac religioſo

In Monito.

In Tract.

 208

gioſo animo conviciaris ; qui probra, dicteria, ac ipſas quoque calumnias; (modò in virum, quem Societatis honori parùm propitium finxeris, jaciantur.) ex Probabiliſtarum, quos tueris & colis, vulgari decreto, veniales, exiſtimas. *Probabile eſt*, inquiunt illi, *non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat. Et ſi non ſit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theologiâ.* Sat igitur eſt, bene habet: nihil me modò ſacra illa convicia tangunt, quæ non quis ego ſim, ſed quis ſis ipſe, quidve de conviciandi & calumniandi licentiâ, ex probabilitatis tuæ regulis ſtatuas, palàm faciunt.

Caramuel. Hurtado. Dicaſtillus. Diana. Socii Lovan. in Theſibus.

Dicam tamen, te in hanc aleam, incallidè nimis, & imprudentèr ingreſſum, ne veri quidem ſpeciem in ſtruendis calumniis tenuiſſe, ac tecum etiam apertè pugnaſſe: adeò te in tranſverſum egerat ſacer furor. Ecquî enim moralem Societatis, de probabilibus opinionibus diſciplinam

irriſiſſem; Litteras, quas vocant, Provinciales, queis tam lepidè luditur, exſcripſiſſem; novatores ut eam impetant inflammaſſem; qui nihil uſpiam hoc de argumento Litteris tradidi? Quamquàm ſi id à me pertractari contingeret, nec te nec quemquam alium dubitare velim, quin in hanc totius Ethicæ ſcabiem, toto ſpiritu depugnarem. Quàm, bellè tecum ipſe conſentis, dum me, pro ſummâ humanitate tuâ, Prædicatorum Ordinis probrum ac dedecus vocas; qui Theologico Tractatu tuo, ſub idem tempus elaborato, me
Pag. 85 & *Thomiſtam eruditum*, & *celebrem*
& 211. *Dominicanum* appellas? Ut hinc nemo non videat, eodem te ore, ut aiunt, calidum ſimul & frigidum efflare, à quo conviciis appeti glorioſius mihi ſit, quàm laudibus ferri. Quàm multâ veri ſpecie, me ab hæreticis (tuis utique, quod intelligi vis, Janſenianis) ſeductum calumniaris; qui ubivis inter ſcribendum ſe dedit occaſio, anathema Janſenianis erro-

ribus

Digitized by Google

209

ribus dixi; latiſque in cos Conſtitutionibus Apoſtolicis ſinceram obedidientiam, nullo cogente, immò nec invitante profeſſus ſum? Quàm conſultè me novatoribus, uti vocas, hæreticis, perduellibus fœdere junctum deblateras; ob id unum, quòd nonnullas olim in Belgium Litteras dederim, privati duntaxàt commodi causâ, in quibus ne leve quidem de dogmatibus rebuſve civilibus verbum excidit, unde ſiniſtra ſuſpicio oriri poſſit? Quàm jure, tuas contra Launoium Auguſtini vindicias, à me ſugillatas expoſtulas, qui meas tantâ fidentiâ, tantâque verborum acerbitate vellicaſti: quaſi ſacra tua ſint, quæ vel extremis attingere digitis nefas fuerit; prophana noſtra, exſecrationes ac diras omnium exceptura? *Vide N. VII.*

Sic tu inconſultè declamas, ac tantùm non furis. Et tamen, quod mirandum magis, cùm me mille conviciis, quo jure quâve injuriâ, oneraris, calamum mihi felle & abſynthio

thio intinctum exprobras. Hoc ſcilicet eſt, quod alibi Lippis proprium dixi; mala ſua oculis inunctis non pervidere; in alienis autem defectibus tam cernere acutum, quàm aut aquila aut ſerpens Epidaurus. Plus enim binæ pagellæ, quibus Epiſtolam claudis, continent acoris & fellis, quàm quidquid unquam in lucem edidi.

Verùm illud obſonium vincit quod de me conquereris, quaſi hæreticorum in me ora cultumque converterim; qui & me miris laudibus ferant, & editis à me libris verbis ampliſſimis pretium faciant. Quos tu hæreticos & dicas & facias, nemінem, puto, ſolicitum habet, qui labem hanc omnium maximam quibuslibet affingere, pro nihilo ducis. At ſi viros alieni cultus & communionis intelligis, næ te veriùs tuâ illâ tabellâ depictum dicam? Sic enim qui apud Batavos Litterariæ Reipublicæ diurna ſingulis menſibus publicat, tua, ubicunquè datur occaſio, lau-

dibus

dibus effert, ornat, notis illuſtrat; noſtra verò deſpicatur ac deprimit; una ut omnium opinio ſit, illum aut à te ipſo, aut certè à tuis, quibuſcum litterariam neceſſitudinem colit, Sociis Trevoltinis excerpta recipere, quæ ſuis commentariis inſerat: nemoque eſt, qui illum æquiori virgâ tua ſimul & noſtra notaturum non putet, ſi & à ſe ipſo judicium ferret, & ex Romanæ, extra quam degit, Eccleſiæ regulis, maximè verò ex Auguſtini mente, ſententiam diceret.

Utcunque tamen ipſa res habeat, ſcito nullius me laudibus delectari; nullas me à quoquam vel ambire vel quærere; uti nec tui ſimilium conviciis moveor. Serviendum Deo novi, ut monet Apoſtolus, *per infamiam & bonam famam*: at nec illud ignotum mihi, quoddam eſſe hominum genus, qui nec famam laudibus concilient ſuis, nec infamiam conviciis ac probris importent.

AD OMNIA ME TIBI RESPONDISSE, ET OMNIA REFELLISSE, PUTO QUOD PERSPICIS, SI PERVICAX NON SIS.

S. Auguſt. Lib. 6. contra Jul. cap. 26.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA